quidam in quibuſdam nominibus Hebraicè, Græcè, & Latinè tranſlatis invenere. Hebraicè v. g. *Elion*, *Adonai*, *Jehova*, *Hakkadoſch*, nempe *Altiſſimus*, *Dominus*, *Deus*, *Sanctus*, ſeu *Abinu Hakkadoſch Appipi*, noſter S. Pater Papa, ſeu *Romiit* Romana. In Hæreſiarchæ Lutheri Hebraicè inſcripto nomine alii indagarunt. Adhuc plurima id genus nomina ſanè poſſent inveſtigari.

Operam verò omninò perdimus, ſi neceſſariò incertum, quod vel per ſolam revelationem, vel per ejus eventum tantummodò ſciri poteſt, divinare velimus. Præterquàm quòd Hebraici idiomatis Periti, Hebraici Alphabeti literis numericum valorem Joannis Evangeliſtæ ætate non adhuc accommodatum putant (*t*): quem morem tunc addunt invaluiſſe, cùm hujus numeri myſterium in literis invicem collatis Cabaliſtæ inveſtigare cœperunt. Cujus quidem inventionis apud veterem Bibliorum textum nulla mentio, ubi numeri nunquam per numericas literas, ſed per ipſa numeros exprimentia verba ſemper referebantur.

Plura quidem, ſed ejuſdem ambiguitatis, quę Anti-Chriſto tribuunt, nomina à Græcis exhibentur. Tria ab Irenæo recenſentur [*u*]: *Evanthas* Floridus, *Lateinos*, Latinus, & *Teitan*, Titan, Gigas; quorum nominum literæ, ſi numericum earumdem valorem ſupputemus, ſummam 666. adimplent. Primaſius & falſus Hippolytus afferunt *Arnoume* (*x*), abrenuncio. Alius exhibet (*y*), *Lampetis*, lucens, ſeu (z) *Niketes*, Victor: ſeu *Kakos odegos* (*a*), pravus Dux; ſeu *Alethes blaberos*, verè noxius; ſeu *Pala-baſcanos*, diu invidus; ſeu *Amnos adikos*, Agnus injuſtus. Tichonius, poſt quem Primaſius, profert *Antemnos*, qui propriè nihil ſignificat. Alii, cujuſmodi ſunt Clictovæus, Genebrardus, Hentenius, in nomine *Mahometis*, Græcè ſcripto, numerum 666. invenere; alii in Genſerico, *Genſericos*, Vandalorum in Africâ Rege. Grotius demum in *Oulpios*, quo nomine Trajanus appellatus eſt (*b*). Studium utique vanum & inanes notæ, quas hìc tantùm recenſuiſſe nos fortè pœniteat.

Numerus 666. apud Latinos in variis nominibus occurrit. Haimo, Anſelmus Laudunenſis, Rupertus, & alii legunt: *Dic*, *Lux*: ac ſi Anti-Chriſtus de ſe ſit dicturus: *ego ſum lux*. Cl. Boſſuet Meldenſis Epiſcopus, hiſtoricè Apocalypſim explicans, Diocletiano accommodat, quod nos Anti-Chriſto, legitque: *Diocles Auguſtus* (*c*). Diocletianum, antequam imperaret, *Dioclem* vocatum conſtat. Legit De la Chetardie (*d*): *C. F. Julianus Cæſar Atheus*, ſeu Anti-Chriſtus. Brevius etiam (*e*) C. F. *Julianus Cæſar Aug.* ſicut hujus Imperatoris nomen in nummis, & inſcriptionibus videbatur. Hæc omnia nomina juxta valorem, quem Latinis literis tribuunt, ſummam 666. adimplent. At S. Joannem, qui Græcè ſcripſit, Latini Alphabeti numeris alluſiſſe, noſque eâ de re monitos non voluiſſe credemus?

Qui Beſtiæ, ſeu Anti-Chriſti Characterem ejus nomen non fore putant (*f*), ſed ſymbolum, ſeu notam quamdam, qua ejus aſſeclæ obſignabuntur, adhuc inter ſe ipſos non cohærent; alii enim in verbo quodam, v. g. Creatori abrenuncio, abrenuncio baptiſmati, vel in ſigno, Cruci à Chriſtifidelibus ab Eccleſiæ exordio hucuſque adhibitæ oppoſito, ſignum illud conſtituunt. Alii verò Anti Chriſtum inſignia gentilitia, ſeu ſpecioſum aliquod ſignum inventurum putant, quibus ſuum cælabit ſigillum, vexilla ornabit, milites ſuos diſtinguet, vel ſuorum omnium frontes obſignabit, veluti Chriſtiani Imperatores ſuum *Labarum* monogrammate *Chriſti* decoraturi, X P, initiales nempe nominis Chriſti Græcè inſcripti literas, eidem intexebant.

Quæ omnia planè ſatis incerta: quomodo enim numerus 666., cui præcipua loci hujus difficultas nititur, ibi futurus ſit, minimè Authores oſtendunt. Cum (*h*) Irenæo igitur, ſatius eſſe tot prædictionum exitum opperiri, quàm in ambiguis nominum, de quibus niſi poſt eventum nunquam conſtabit, conjecturis tempus inſumere, concludamus; licèt enim validiſſima nobis occurrerent argumenta, inde tamen nil haurire poſſemus, quod abſque peculiari revelatione ambiguitatem expelleret. Quælibet igitur notitia, quæ neque nos, neque cæteros certos conſtituat, vera utique cognitio non eſt reputanda. Eâ ſcientiâ ſæpè magis expedit inſcitia, hæc enim faſtum expellit, illam verò, licèt ambiguam atque incertam, ſæpe ſæpiùs ſuperbia comitatur.

ARTICULUS IV.

Tempus venturi Anti-Chriſti.

IPſâ S. Pauli ætate impoſtores erant, qui ad Fidelium terrorem diem Domini jamjam adventuram prædicabant (*i*). *Rogamus vos Fratres*, ait Apoſtolus ad Theſſalonicenſes, *per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti*, *& noſtræ Congregationis in ipſum*, *ut non citò moveamini à veſtro ſenſu*, *neque terreamini*, *neque per ſpiritum*, *neque per ſermonem*, *neque per Epiſtolam*, *tamquam per nos miſſam*, *quaſi inſtet dies Domini*. *Nequis vos ſeducat ullo modo*, *quoniam niſi venerit diſceſſio primùm*, *& revelatus fuerit homo peccati*, *filius perditionis*, *qui adverſatur*, *& extollitur ſupra omne*, *quod dicitur Deus &c.* S. Joannes ad ſuos Diſcipulos ita ſcribit (*k*): *Filioli*, *noviſſima hora eſt*, *&*, *ſicut audiſtis*, *quia Anti-Chriſtus venit*, *& nunc Anti-Chriſti multi facti ſunt*; *unde ſcimus*, *quia noviſſima hora eſt*. Alibi etiam [*l*]: *Omnis Spiritus*, *qui ſolvit Jeſum*, *ex Deo non eſt*; *& hic eſt Anti-Chriſtus*, *de quo audiſtis*, *quoniam venit*, *& nunc jam in mundo eſt*. Hinc videre eſt, quomodo priores Eccleſiæ Fideles & Chriſti, & Anti-Chriſti adventum proximè opperirentur.

Viennenſis & Lugdunenſis in Galliis Eccleſiæ

t *Merc. & Bertram. Theſaur. radic. Malvend. l.8. c.17. p.433. de Antichriſto.*

u *Iren. l.5. c.3.*

EVANTHAS 5. 400. 1. 50. 9. 1. 200. *Floridus. ſumm.* 666.

LATEINOS. 30. 1. 300 5. 10. 50. 70. 200. *Latinus. Summ.* 666.

TEITAN. 300. 5. 10. 300. 1. 50. *Gigas. ſumm.* 666.

x *ARNOUME* 1. 100. 50. 70. 400. 40. 5. *abrenuncio. ſumm.* 666.

y *LAMPETIS.* 30. 1. 40. 80. 5. 300. 10. 200. *Lucens. ſumm.* 666.

z *O NIKETES.* 70. 50. 10. 20. 8. 300. 8. 200. *Victor. ſumm.* 666.

a *KAKOS ODEGOS* 20. 1. 20. 70. 200. 70. 4. 8. 3. 70. 200. *Pravus Dux. ſumm.* 666.

b *OULPIOS. Ulpius* 70. 400. 30. 80. 10. 70. 6. *ſumm.* 666.

c *DIOCLES AUGUSTUS.* DCLXVI.

d *C. F. JULIANU CÆSAR ATHEUS.* DCLXVI.

e *C. F. JULIANUS CÆS. AUG.* IↃCLVVVI.

f *Vide ſi lubet, Malvend. l.8. c.18. de Anti-Chriſto pag. 438. & ſeq.*

h *Iren. l.5. c. 30.*

i *2. Theſſal. 2. 1.*

k *1. Joan. 2. 18.*

l *1. Joan. 4. 3.*

eccleſiæ ſævitiam, qua Marcus Aurelius ſæculo ſecundo Eccleſiam perſequebatur, ingementes, ad Aſiæ Fideles habuerunt (*m*) Epiſtolas, quibus Dæmonem in Sanctos perſecutionem jam inſtituiſſe, & ſuas vires & malitiam, quibus citiùs in Fideles omnes irrumperet, quodammodo experiri, ferebant. Nos belli, quod citiſſimè nobis eſt illaturus, jam veluti præludia conſpicimus.

Judas Syrus (*n*), qui ſub Severo Imperatore florens ſcripſit in Danielem, hujus Principis adversùs Fideles tyrannidem exoſus, Anti-Chriſtum jam propè adventurum aſſeruit; quem & Tertullianus ejuſdem ſæculi Author jam proximum teſtabatur (*o*): *Anti-Chriſto jam inſtante*, *& in ſanguinem*, *non in pecunias hiante*. S. Cyprianus, qui Gallo & Voluſiano imperantibus degebat in vivis, Fideles ad perſecutiones conſtanti animo perferendas hortatur, eoſque monet, ut, quoniam Mundi exitus, & Anti-Chriſtus imminebant, de ſolâ æternitate cogitarent (*p*): *Scire debetis*, *& pro certo tenere*, *occaſum ſæculi*, *atque Anti-Chriſti tempus appropinquaſſe*, *ut parati omnes ad prælium ſtemus*, *nec quidquam niſi gloriam vitæ æternæ*, *& coronam confeſſionis Dominicæ cogitemus*. Arianiſmo latè graſſante, *neceſſe eſt*, inquit Hilarius, *in ipſam nos ætatem Anti-Chriſti incidiſſe* (*q*). Eidem ferè opinioni Baſilius Magnus (*r*) & Ambroſius (*s*) adhæſere, quamvis ſuam aliquantò magis ambiguam ſententiam proferant. S. Hieronymus (*t*), tam multis, quibus Romanum Imperium ſuâ ætate affectum erat, calamitatibus tactus, Anti-Chriſtum, virum illum perditiſſimum, ab Jeſu Chriſto ſpiritu oris ſui interficiendum, citò adventurum prænunciavit. S. Martinus apud Sulpitium Severum (*u*), Anti-Chriſtum tunc temporis jam natum aſſeruit, qui ſtatim ac adoleviſſet, ſeſe noſcendum exhiberet, & imperium ſuum occuparet. S. Chryſoſtomus bella, calamitates, terræmotus, Charitatis remiſſionem, Mundi citiſſimè abſolvendi prænuncia credebat (*x*), & orbem veluti morientem doloribus obrutum, & terrore, ſibi morte imminente, confectum appellabat.

S. Gregorius Magnus non longè eſſe mundi interitum pluribus in locis aſſeruit. Omnia nobis, ajebat, peſtes, bella, terræmotus, nationum ſeditiones, populorum calamitates extremam diem jam propè adventuram portendunt. Quamvis verò mundus à nobis diſcedat, diſcedenti præ viribus inhæremus, ac ſi vel ille vel nos perenniter maneremus (*y*). Bernardus (*z*), inter Eccleſiæ Patres junior, ex tot, quæ ingruerant, flagitiis mundi exitum in limine eſſe colligebat. Veterum traditio de mundi fine poſt millenarium à Chriſti nativitate futuro, circa decimum ſæculum ad loca ſancta & Monaſteria erigenda plurimos compulit, ut facultatibus ante diem ultimam dimiſſis, rebus hiſce ſoluti coram ſupremo Judice ſiſterentur.

Paſchalis II. (*a*) anno 1105. Concilium Florentinum coegit ex quadraginta ſupra tercentum Epiſcopis, ubi Fluentium Florentiæ Epiſcopum condemnavit, quòd Anti-Chriſtum jam natum protuliſſet. Abbas Joachim duodecimo ſæculo Anti-Chriſtum poſt annos 60. venturum credidit. Arnaldus de Villanova venturum ſtatuit anno 1326. Petrus Alliacenſis Cardinalis, & Epiſcopus Cameracenſis ex ſuis Aſtronomicis ſpeculationibus anno 1789. proditurum determinavit. Cardinalis Cuſanus 1700. ſeu 1734. Joannes Picus Mirandulanus 1994. Franciſcus Meletius 1530. ſeu 1540. Joannes Pariſienſis 1560. Hieronymus Cardanus 1800. nonnulli denique Germaniæ Fanatici 1533. Anti-Chriſtum adventurum ſcripſere. S. Vincentius Ferrerius ſæculo decimoquinto ſcripſit ad Benedictum XIII. quem genuinum Pontificem (*b*) habebat, Anti-Chriſtum in limine eſſe, cujus ortum jam inde à novem annis ipſe à pio quodam Heremitâ didicerat. Quod plurimorum, qui idem per auditum acceperant, & plurium Dæmonum, qui inter energumenorum exorciſmos idem fateri coacti fuerant, teſtimonio confirmat.

Has ferè omnes prædictiones falſas ex eventu deprehendimus; cæteras verò non ſolidiori innixas fundamento, meritò judicamus. Hinc eſt, quòd Concilium Lateranenſe ultimum Concionatoribus omnibus etiam futuris, ne Anti-Chriſti adventum, ſeu Mundi exitum in poſterum ſtatuerent, interdixit (*c*): quod utique præſtari ab iiſdem non poſſet, quin & in temeritatis notam inciderent, & Scripturæ adverſarentur, à qua hæc accepimus: *Non eſt veſtrum noſſe tempora*, *vel momenta*, *quæ Pater poſuit in ſuâ poteſtate* (*d*).

Iniquitatis myſterium ſuâ ætate jam cœpiſſe perfici S. Paulus aſſeruit (*e*); noſque ibi Neronem, quòd ſuum imperium ſceleribus cumularit, ab Apoſtolo deſignari, ex Veterum plurimis (*f*) jam ſatis intelligimus. Theſſalonicenſibus addit Apoſtolus, Anti-Chriſtum tunc temporis non adhuc adveniſſe, quòd *diſceſſio*, ſeù *Apoſtaſia primùm venerit*, oporteat. Per quæ verba populorum adversùs Romanum Imperium ſeditionem, & Imperii ejuſdem everſionem præferri quidam ferunt; quidam verò, Fidelium per Apoſtaſiam ſchiſma, & hæreſes ab Eccleſiâ Matre defectionem induci tuentur. Teſte demum ipſo Chriſto, Evangelium in omnes omnino regiones illatum priùs fuerit, oportet (*g*): *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in univerſo Orbe*, *in teſtimonium omnibus Gentibus*, *& tunc veniet conſummatio*.

Hæc tria loca: *Myſterium jam operatur iniquitatis*; *diſceſſio* ſeu Apoſtaſia *primùm venerit*, *oportet*: *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in univerſo orbe ... & tunc veniet conſummatio*, quid ſignificent, Patres atque Interpretes non conveniunt. Plures enim primum de Neronis Imperio; alii ſecundum de Judæorum in Romanos defectione; alii denique de Templo, & Urbe Jeroſolymitanâ à Romanis evertendâ ultimum explicant. Omnes tamen Anti-

m *Apud Euſeb. l.5. Hiſtor. Eccleſ. c. 1.*

n *Judas Syrus apud Euſeb. l. 6. Eccleſ. Hiſtor. c 6.*

o *Tertul. de fugâ in perſecutione c.2.*

p *Cyprian. Epiſt.66. ad Tibaritanos. Vide & ad Fortunatum. Ep.53. Et in fine, atque conſummatione Mundi Antichriſti tempus infeſtum appropinquare nunc cœpit &c.*

q *Hilar. contr. Auxentium n. 5. p.1265.*

r *Baſil. Epiſt. 71.*

s *Ambroſ. l. 10. in Luc. c. 3. & Orat. de obitu Fratris ſui Satyri. Raptus eſt ne totius orbis excidia, mundi finem videret.*

t *Hieronym. ad Ageruchiam.*

u *Sulpit. Dialog. 1. Non eſſe autem dubium, quin Antichriſtus malo Spiritu conceptus eſſet, etiam in annis puerilibus conſtitutus, ætate legitimâ ſumpturus imperium.*

x *Chryſoſt. hom.33. in Jo. circa finem.*

y *Gregor. Magn. l.4. ep.34. & ep.38. & hom.1. in Evangel.*

z *Bernard. in Pſal.90. ſerm. 6.*

a *Vide Hieronym. Vielm. lectione 6. de ſex diebus conditi orbis, & Malvend. de Antichriſto l. 1. c.37. & 38.*

b *Dies 27. Julii Epiſtolæ appoſitus eſt ann.*1412.

c *Concil. Lateran. c.11. Supernæ Majeſtatis &c.*

d *Act. 1. 7.*

e *2. Theſſal. 2. 3. &c.*

f *Hieronym. in Dan. 11. Aug. l. 20. de Civit. c. 19. Victorin. in Apoc. 13. alii.*

g *Matth. 24. 14.*

ti-Chriſti adventui præmittenda alio ſenſu deſignari poſſe conſentiunt, cui quidem ſententiæ Veterum & Recentiorum plerique ſubſcribunt,

Antequam igitur homo peccati ſe exhibeat, per hæreſes, & morum corruptionem iniquitatis myſterium perficiatur, & penitùs adimpleatur, oportet; hinc Servator ajebat (*h*): *Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Prætereà Romanum Imperium per Regnorum, & Provinciarum ſeparationem, & populorum ſibi parentium ſeditiones, neceſſe eſt evertatur; & in regionibus omnibus Evangelium prædicetur, ut omnes veritatis lumine perfundi poſſint, & nemo, quòd Fidei non adhæſerit, excuſationem afferat.

Plura ex his, quæ attulimus, exitu jam comprobata perſpicimus, Charitatem videlicet infirmatam, & in Fidelium pleriſque jam prope extinctam. Fidem & Veritatem ab innumeris hæreſibus oppugnatam; unionem per ſchiſmata ſciſſam; Regna, & Provincias ab Eccleſia Catholica penitùs ſejunctas; veritates enervatas; pietatem interitui proximam; errores, flagitia, morum denique omnium ferè ubique graſſantem corruptionem. Quæ omnia myſterium iniquitatis in Eccleſia impleri utique oſtendunt. An verò illud eò perveniſſe, quò Chriſtus denunciat, & quò Paulus perventurum prædixit, temerè afferamus? Vel Apoſtoli ætate impleri quidem cœperat; at quandonam implendum omninò fuerit, quis nobis aperuit? Chriſti adhuc Eccleſia plurimos numerat, qui conſtanti Fide & fervidâ Charitate inſtructi, ad ſæculi flagitia non defluxere; plurimos adhuc Homines Dei recenſet, qui ante Baal minimè procubuere. Si hæreſis, ſchiſma, & Mahometi nequitia Fideles innumeros ab Eccleſiâ extorſerunt, divinitùs actum eſt, ut, Americâ detectâ, innumeri pariter earum regionum incolæ ad Fidem accederent. Hæreſes præterea ad ſcientiam Eccleſiaſticam inſtaurandam, ad Paſtorum zelum excitandum, & Fidelium pietatem augendam contulerunt. Hinc de proximo Anti-Chriſti adventu nil jure concluditur.

Licèt autem Romanum Imperium, quòd Provinciæ, Regna, & populi innumeri ab eo deficientes, ejus quoque jugum excuſſerint, valdè infirmatum videatur; nihilominus everſum penitùs non conſtat. Extat adhuc in Germanico Imperio, cujus Imperatores veterum Cæſarum legitimi ſucceſſores ſunt. An hujuſmodi Imperium omninò ante Anti-Chriſtum delendum ſit, quodve temporis intervallum inter hujus adventum, & illius everſionem, neceſſe eſt intercedat, nobis Deus non aperuit. Si fortè non omninò evertendum, ſed tantùm ſit infirmandum, quò perventura eſt ea infirmitas, ut inde proximum Anti-Chriſtum eruamus? De his omnibus neque revelatione, neque traditione quidquam accepimus, quod certam notitiam afferat, & noſtram ambiguitatem tollat.

Quamvis denique in omnes, quarum apud nos cognitio, regiones Evangelium fortè delatum ſit, nullum prorsùs populum adhuc nos latere quis afferat? Sunt qui ultra meridionalem Oceanum regionem adhuc latè detegendam defendunt. Eſto tamen, nulla regio notitiam noſtram effugerit, quis Fidei Præcones in omnes penitùs Aſiæ, & Africæ oras ſe contuliſſe affirmet? Plurima eſſe remotiſſima loca, quò Itinerantes nunquam pervenere, & à noſtris Geographis ignorantur, omnes conveniunt. His ne igitur Evangelii Præcones Fidem denunciaverint? Scimuſne præterea, ad quem uſque modum Deus populis denunciari, cognoſci, & Evangelium exerceri decreverit? An ſufficiet, ſi illud plurimi audierint, quin exceperint, vel à pleriſque exceptum alii rejecerint? An demum ſatis fortè, ſi omnes ad Fidem acceſſerint, eique ſtatuto quodam tempore adhæſerint, itaut ſinguli, quos Deus beatitudini deſtinavit, æternam conſequuti fuerint felicitatem? Quamvis igitur Scriptura Anti-Chriſti prænuncia nobis præferat, quo tamen tempore adventurus ſit, penitùs ignoramus: quare non modò ejus adventûs annum, ſed neque ſæculum ſtatuere audemus.

ARTICULUS V.

De origine, Nativitate, & Educatione Anti-Chriſti.

EX Judæorum progenie Anti-Chriſtum egreſſurum, Patres omnes, & Interpretes conveniunt. Author S. Hippolyti nomine vulgatus, ſicut, inquit (*i*), Chriſtus ab Judæis, ita ab iiſdem Anti-Chriſtus prodibit. Hilario Diacono teſte ((*k*), circumcidetur, & in mediis Judæis orietur, ut populus iſte eidem adhæreat, eique ſe, ſuaſque res omninò committat. S. Hieronymus illud Danielis explicans: *Aſcendet in modico populo*, Anti-Chriſtum ab Judæis oriturum refert (*l*): *Conſurgere debet Anti Chriſtus de modica gente, ideſt de populo Judæorum.* Quamvis autem, ſubdit, Judæorum nemo toti unquam orbi dominatus fuerit, Anti-Chriſtus omnibus regionibus imperabit: *Nullus Judæorum, abſque Anti-Chriſto, in toto unquam orbe regnavit* (*m*).

Unanimiter & Patres & cæteri, Anti-Chriſti parentes ex Tribu Dan futuros arbitrantur, quo ſenſu accipiunt illud Jeremiæ (*n*): *A' Dan auditus eſt fremitus equorum ejus, à voce hinnituum pugnatorum ejus commota eſt omnis terra; & venerunt, & devoraverunt terram, & plenitudinem ejus, Urbem, & habitatores ejus.* Illud Jacob ſimiliter explicant (*o*): *Dan judicabit populum ſuum, ſicut & alia Tribus in Iſrael. Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retrò.* Putant denique, Joannem Evangeliſtam (*p*), cùm Tribus Iſrael recenſuiſſet, Tribum Dan idcirco omiſiſſe, quòd ex illa Anti-Chriſtum egreſſurum agnoſceret.

Qui equidem Textus, atque argumenta, ne-

h *Luc.* 18. 8.

i *Pſeudo Hippolyth. de conſummat. mundi.*

k *Ambroſiaſt. in* 2. *Theſſal.* 2.

l *Hieron. in Daniel.* 11.

m *Hieronym. ibidem.*

n *Jerem.* 8. 16.

o *Geneſ.* 49. 16.

p *Apoc.* 7. & *&c.*

neque perſpicua ſunt, neque convincunt, & ſine Patrum conſenſu, ad Anti-Chriſtum credi poſſent nullatenus pertinere. Licèt autem ea ſententia tot fautoribus invaleſcat; nihilominus Bellarminus (*q*) non niſi probabilem, & eorum Textuum allegoricam explanationem habendam cenſet. S. Irenæus (*r*), Pſeudo-Hippolytus (*s*), S. Ambroſius (*t*), S. Auguſtinus (*u*), Theodoretus (*x*), S. Gregorius Magnus (*y*), Author Tractatûs de Anti-Chriſto, qui inter Auguſtini opera occurrit, & S. Proſper (*z*), Anti-Chriſtum à Tribu Dan ortum ducturum defendunt. Aretas verò, Beda, Primaſius, Rupertus, Haimon, aliique non pauci Apocalypſis Interpretes, S. Joannem Tribum Dan prætermiſſe ferunt, quòd ex ea Tribu Anti-Chriſtus ſit egreſſurus (*a*).

Ad cujus opinionis fulcimentum Tribum Dan trans Euphratem vel Babylone, vel in Babylonia adhuc ſubſiſtere, ibique Anti-Chriſtum oriturum, & Imperium auſpicaturum affirmant. Cui ſententiæ, addit Hieronymus, (*b*) unanimis Patrum & Interpretum Catholicorum conſenſus favet. *Noſtri interpretantur hæc omnia de Anti-Chriſto, qui naſciturus eſt de populo Judæorum, & de Babylone venturus.* Quare qui poſt Hieronymum ſcripſere, eidem opinioni ſubſcribunt. Aretas etiam, cujus apud nos Commentarium Græcum in Apocalypſim (*c*), Anti-Chriſtum à regione trans Euphratem venturum aſſerit. Cùm verò Babylon ad nihilum fermè redacta ſit, & ultra mille ab hinc annis adeò ſui ipſius obruta ruinis, ut, ubi quondam condita fuerit, ne veſtigium quidem exhibeat, qui Babylone Anti-Chriſtum oriturum volunt, eam urbem rursùs ædificandam arbitrentur, vel fortè myſtico & allegorico ſenſu Babyloniam accipiant, oportet. Lactantius Anti-Chriſtum è Syriâ ducit: *Orietur ex Syria, malo ſpiritu genitus, everſor, ac perditor generis humani.*

De Anti-Chriſti patre inter Scriptores non convenit. Dæmonem à perditiſſima fœminâ (*d*) Anti-Chrſtum excepturum quidam tulere. Neque ea opinio nobis admirationem ingerat; Veterum enim plurimi (*e*) à Dæmone poſſe fœminas gravidari, imo & plures gravidatas ſentiebant. De Angelis filiarum hominum amore captis, & de Gigantibus ante diluvium ab eorumdem concubitu progenitis, nonnulli Patres quid ſcripſerint, ſcimus. Authores ex veteribus, & ex recentioribus innumeri, incuborum, & ſuccuborum, maribus & fœminis noctu illudentium, Dæmonum meminere. Neque præſtantiſſimi deſunt Scriptores, qui fœminas implendi virtutem Dæmoni tribuant, non quòd per ſe ipſum id præſtet, ſed per ſemen ab aliquo homine ereptum, & in fœminam callidè infuſum.

Facilè quidem Philoſophorum argumentis hanc opinionem refelleremus, ſi hæc id expoſceret Diſſertatio. Quin verò ad Phyſicam confugiamus, hæc utique ſententia Servatoris noſtri ex Matre Virgine Nativitatis prodigium evertit, & vehementer infirmat. Si enim Dæmonis ope præter miraculum, quin viro adhæreat, mulier concipiat, quare & Angeli induſtriâ præſtari non valeat? Si verò Angelus, & Dæmon eâ in re virrutem ſuam exerceant, ruit protinùs argumentum, quo Jeſum Chriſtum, quòd ex Virgine ortum duxerit, Meſſiam, & Deum comprobamus. Hoc autem miraculum ita omnium vires exhaurit, ut, Auguſtino teſte (*f*), neque à Dæmone, neque à cæterorum quolibet præſtari valeat. Conſtat itaque, à Dæmone arte eâ, quæ præfertur, ullum hominem procreari non poſſe, & ea propter neque Anti-Chriſtum ex matre, quæ viri conſuetudine uſa non fuerit, minimè progreſſurum.

Putant alii, Anti-Chriſtum non hominem fore, ſed Dæmonem humanâ carne indutum: *Unus de hominibus, in quo Satanas habitaturus ſit corporaliter* (*g*); alii verò & Dæmonem ſimul & hominem fore, verè humanâ naturâ ex animâ & corpore præditum, & verè etiam Dæmonem, quòd Satanas, veluti anima corpus, eum quodammodo animaturus ſit. Porrò, ait Hilarius Diaconus (*h*), ſicut Jeſus Chriſtus in aſſumptâ humanitate Divinitatis ſuæ majeſtatem editis prodigiis oſtendit; ita Dæmon in Anti-Chriſto falſis ſignis Deum ſe eſſe demonſtrare conabitur. Quin & Virgine Matre, non ſecus ac Chriſtus, juxta falſi Hippolyti opinionem, ſe natum oſtentabit, quamquam Chriſtus veram, ille verò phantaſticam carnem ſit ſuſcepturus (*i*).

Opiniones has Philonis (*k*), Origenis [*l*], Tertulliani (*m*), Rabbinorum (*n*), aliorumque, Dæmones videlicet & Angelos naturam poſſe humanam aſſumere, ſi nobis refellere proponamus, plus nimio Diſſertatio eſſet protrahenda. His itaque prætermiſſis, ea præferenda eſt ſententia, quam probat Eccleſia, & Chryſoſtomus (*o*), Theodoretus, Theophylactus, Rabanus Maurus (*p*), & vulgò omnes docent, Anti-Chriſtum nempe verum futurum hominem, qui Dæmoni, ut in Fideles omne crudelitatis, ac malitiæ genus exerceat, omninò obſecundabit. Porrò ſicut Jeſus Chriſtus nobis ſalutem allaturus, naturam humanam, noſtraſque infirmitates aſſumpſit; ita Satanas eum inter homines ſecernet, quem, ut homines decipiat, ſibique Meſſiæ nomen vendicet, ſuæ malitiæ magis accommodum judicabit.

Docentes, Anti-Chriſti matrem omnium fœminarum libidinoſiſſimam futuram (*q*), ſeu illum oriturum ex inceſtu Patris cum filia, vel filii cum matre, vel fratris cum ſorore, vel demum ex matre voto, ac ſacramento virginitati obſtrictâ, ipſi ſibi conſtare non poſſunt. Si ex matre perditiſſima, & famæ jam deploratæ ortum ducturus eſt Anti-Chriſtus, quomodo ſeſe Virgine ſatum jactabit, ut Meſſias valeat reputari? Quomodo etiam ex Judæis Parentibus generandus, ſi matrem religioſa profeſſione Deo mancipatam eſt habiturus, cùm Judæi Virginitatem profiteri minimè conſueſcant? Sunt qui affirment (*r*), illam

ſub

q *Bellarm. l.* 3. *c.*12. *de Summo Pontifice. Vide & Suarez tom.*2. *diſput.* 54. *ſect.*2.

r *Iren. l.*5. *adverſ. hæreſ. c.* 38. *Hieremias Tribum, ex qua veniet, manifeſtavit, dicens: De Dan audivimus vocem velocitatis equorum ejus &c.*

s *Pſeudo Hyppol. orat. de conſumm. mundi. Ille certè (Anti-Chriſtus) naſciturus eſt ex Tribu Dan.*

t *Ambroſ. l. de Benedict. Patriarch. c.*7. *& in Pſal.*40.

u *Auguſt. q.* 22. *in Joſue. Talia dixit de iſto Dan, ut de ipsâ Tribu exiſtimetur exſurrecturus Anti-Chriſtus.*

x *Theodoret. qu.*109. *in Geneſ.*

y *Gregor. Magn. l.*31. *in Job c.*18. *Nonnulli enim de Tribu Dan venire Anti-Chriſtum ferunt &c.*

z *Proſper de promiſſion. p.*4.

a *Vide Malvend. l.*2. *c.* 11. *& ſeq. de Antichriſto, ubi citat Eucher. in Geneſ.* 49. *Alcuin. qu. in Geneſ. Raban. Opuſcul. de Anti-Chriſto, alios plurimos.*

b *Hieronym. in Dan.*11.

c *Aretas in Apoc.*9.

d *Lactant. l.* 16. *c.*17. *Alter Rex orietur ex Syriâ, malo ſpiritu genitus? Sulpit. Dialogo* 2. *de S. Martino. Hieronym. in Iſa.*17. *Conſummato Anti-Chriſto, & parente ejus Diabolo. Beda in Apoc.*8. *Author lib. de Antichriſto inter opera S. Auguſtini.*

e *Vide Bellarm. l.*3. *de Roman. Pontif. c.*12. *Malvend. de Anti-Chriſto l.*2. *c.* 8. *Valleſ. de Sacrâ Philoſoph. c.*8.

f *Auguſt. Ep. olim* 3. *nunc* 137. *c.*4. *n.*13.

g *Hieronym. in Daniel.*7. *Ita & Beda in Apoc.*13.

h *Ambroſiaſt. in* 2. *Theßal.* 2.

i *Hippolyt. de Conſumm. mundi.*

k *Philo de Gigantib. p.*286. *&c.*

l *Origen. tom.* 2. *in Joan. Vide & Hier. in Agg.*1.

m *Tertull. l.* 3. *cont. Marcion. c.*9. *& de carne Chriſti c.*3.

n *Vide Lyran. in Joſue* 2. 4. *&c.*

o *Chryſoſt. in* 2. *Theſſal.* 2. *Theophyl. ibid.*

p *Raban. Opuſcul. de Anti-Chriſto.*

q *Vide Pſeudo-Hippol. Orat. de conſumm. mundi. Ephrem Syr. ſerm. de Anti-Chriſto. Damaſcen. l.*4. *de fide c.* 27.

r *S. Hildegardis ex Chriſti revelatione.*